UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

XV.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55940

Visual Library

# CONCIO XV.

7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύουσιν ἄρτων, ἐ- *Græca.*
γὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.
7. Dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abun-* *Vulgata.*
*dant panibus, ego autem hic fame pereo.*
7. *Ait, quot ſunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui* *Syriaca.*
*abundant pane, ego vero hic fame pereo.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*
1. *Panem nobiliſſimum eſſe hominis alimentum.*
2. *Quod ob pulcherrimas rationes de panibus ibi agatur in plurali numero.*

AVE.

I.

*Panem eſſe nobiliſſimum hominis alimentum.*

NOLITE cogitare, dilectiſſimi, par-
uum quid eſſe dictum a Prodigo,
*mercenarij patris mei abundant pani-*
*bus.* Nolite faſtidioſe & dedignanter
dicere *panes*, *panes* ſunt. *Nihil aliud* *Num. 11.*
*reſpiciunt oculi noſtri niſi man.* Parum *Ibid.*
eſt ad humanam vitam, non in ſolo pane viuit homo: *Iob.*
panis & vinum, & carnis modicum, ac obſonij, me-
lius iungerentur; ſi non tantùm carnis, quantum
panis. *Quis dabit nobis carnes ad veſcendum? quis*
*det de carnibus eius vt ſaturemur?* Caro carnem
fouet, & vt habet axioma *omnis repletio mala, pa-*
*nis autem peſſima.* Et hi abundant, ſuperfluunt pa-
nibus, iis tantum opplentur. Sic loqui poſſunt *Cer-*
*beri carniuori, quorum Deus venter eſt*, homines
Epicurei, carnales; non Pythagorei oſores carnis, &
omnium eorum quæ vitam acceperunt, Philoſophus
tamen nimium ſuperſtitioſus, quā vt Chriſtianus ſit,

S 4 qui

qui manducant quicquid apponitur; aut vt Carthuſianus fiat, nam piſces etiam guſtare noluit, quia vetant. Quam ſuperſtitionem ex errore traxerat, neſcio quam fingens tranſanimationem, ac renaſcentiam

*Eraſm. in colloq. de Ichthiophagia.*

Franciſcus Rabelais lib. 5. cap. 29. & Eraſmus in colloquio de Ichthiophagia, monſtrant ſibi non futurum ſatis, ſi abundarent panibus: tantopere declamãt contra piſces, & cibos quadrageſimales. Noſtri Hugenotæ tãquam manifeſti carnis amici, & voluptatum, inimici crucis Chriſti, minus etiam tali contenti eſſent obſonio. Abundant *panibus, panibus*: cur nõ carnibus? Faxit Deus ne nos hic tales habeamus. Dico nihilominus helluonibus iſtis ac faſtidioſis, non eſſe parum puris ita liberaliter tractari panibus. Primo enim mercenarij ſolum fuerunt, lucrantes pecunias, quibus vina & obſonia poſſent redimere. Veriſimile enim eſt Prodigi patrem, operariis ſuis victualia tantum dediſſe, nõ vt quidam, qui pro pecunia aut tota aut ex parte, frumenta, carnem, boues, porcos, pannum dant; ac inſuper etiam fraudant, quia corrupta ſunt, aut accipientibus non neceſſaria, ſaltem in tanta copia. Secũdo magna tum erat fames, ſaltem in regione Prodigi; forte & in ipſius patria. Ac quæ tempore fertili nauſeamus, ingraueſcente annona, cum terra pene incibum vertitur, deliciæ putantur. *Quæ prius tangere noluit anima mea, nũc præ anguſtia cibi mei ſunt*, dicit Pro-

*Plaut. in Aſin. act. 4.*

pheta Iob. *Sordide vitam oblectabas pane, in pannis inopia*, dicit Plautus.

*Iob 30.*

Quid in iſta Pariſienſi fame non eſt manducatum? Iob recenſet tanquam mirabile quod *egeſtate & fame ſteriles mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum, qui de conuallibus ſa rapientes, cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.*

Sed Pariſiis commederunt ardoſias commolitas, panum loco. Parumne igitur erat mercenariis panem accipere ad ſaturitatem, cum alibi mercenariis nec ſat *glandis, nec ſat ſiliquarum. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant.* Mercenarij igitur

gitur iſti, ſi temporis habeamus rationem, admodum præ aliis fuere felices; etiamſi ſolo abundarent pane. Panis eſurienti præ omnibus ſapit.

*Iudicis officium eſt vt res ita tempora rerum*
*Quærere.* *Ouid. lib. 1. Triſt.*

Tertio quis ſcit num forte tota hæc parabola iuxta litteram non acciderit, cum frumenta, molę, piſtrina, piſtoria, vix dum eſſent in vſu; aut cū ſoli fere Principes ac potentes panem mãducarunt, reliqui fructus arborū, glandes, piſa, fabas, legumina & neſcio quid. Si panem manducare tanta primitus res viſa ſit, cum longo tempore victitaſſent glande, & rebus ſponte natis, vt primi agriculturæ inuentores, molitoriæ, piſtoriæ, meſſium ſegetum, pro diis habiti ſint; vt Oſyris in Ægypto, Triptolemus in Gręcia & Aſia, ſecundum Iuſtinum; Ceres aut Iſis in Attica, Italia, Sicilia, ſecundum Plinium & Diodorum Syculum; Saturnus in Latio ſecundum Macrobium; & quidam Pilumnus, honoratus à piſtoribus quod primitus artem pingendi inueniſſet; Noe magni æſtimatus, quod excogitaſſet aratra: cur non magni faceret Prodigus conſtitutus in regione vbi glandes, poma, olera pranſitabant, imo & ſiliquarum eſſet inopia, patris ſui mercenarios, in regione, & domo, & tecto eſſe, vbi ad ſaturitatem omni panum genere infarcirentur. Credat qui volet, aut aliquis, tempore Domini noſtri, aut iſtius Prodigi panem apud omnes nationes non fuiſſe in vſu. Pro tempore ſaltem Seruatoris noſtri, hoc eſt quam certiſſimum. Teſtatur enim Plinius ſuo tẽpore multos glandibus toleraſſe vitam; ac etiamnum in Hiſpania glandes in deliciis habent, eaſque confecturis inſerunt. Sed quis ignorat Plinium, tãtum naturæ ſecretarium, vixiſſe ſub Imperatore Veſpaſiano, cuius & negotia curauit, 40. circiter annis, poſt Aſcenſionem Domini? Et certiſſimum eſt piſtoriam artem ſero allatam Romam; illuc vſque Romanis cocto victitantibus frumento, & Galli faciebant, & Germani; quod lixantes donec finderentur folliculi, pro pane habebant vſque ad bellum Perſicum anno 580 ab vrbe condita: quo

*Iuſt. lib. 2. Ouid. 4. Faſt. Plin. lib. 7. c. 56. Diod. lib. 6. c. 15. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 7. Vide & Polyd. Virg. lib. 3. de rerum Inuen. c. 2.*

*Plin. lib. 16.*

tempore piſtores Aſiani Romanos docuerunt frumenta molere, pinſere, fermentare, & coquere.

*Plinius lib. 8. cap. 11.*

Prædictus Plinius teſtatur l. 8. cap. 8. *Pulte non pane longo tempore vixêre Romani, quoniam inde pulmentum hodieq; dicitur.*

Terræ nouiter detectæ panem non habent, & magni faciunt ſi a Chriſtianis ille apponatur, quamuis etiam biſcoctus ſit, adeo putant eſſe ſapidum.

Quarto. *Panibus*, inquit, vt monſtret omnis generis fuiſſe. Ergo & delicatior, & melior, & candidus, qualem etiam iam extra famem, ſine obſonio facile comedimus.

Lucianus. *Locis aliquot, nominatim libello de mercede ſeruientibus, teſtatur album panem Græcis in deliciis fuiſſe.*

Quinto. Panis inter optimos cibos eſt præſtitus homini à Deo: ſed copia eum fecit contemptum. Nam *omne rarum carum.* Patet hoc tēpore famis. Omni cibo ſucculentior eſt, & ſalubrior. Comede carnes, bubulas, ouinas, vitulinas, porcinas, leporinas, ceruinas, aues, piſces; comede & fructus, facile omnia hæc corrumpunt ſtomachum, difficulter digerūtur: vt & oua, & omnia lacticinia, imo caſeus pene putatur indigeſtibilis. Qui cibos hos ſine pane comedunt, decolores ſunt, putente anhelitu, qui non multum olet paſtillos aut odoramenta Arabica: & raro carniuori iſtadeo robuſti, toroſi, ac neruoſi ſunt, quam paniuori.

*Senec. varia & diuerſa inquinant non alunt.*

Alij cibi vt placeant diuerſimode ac multa arte condiuntur, & nihilominus nauſeantur ſæpe: ſolus panis nunquā diſplicet, nec bona nec mala valetudine, eius appetitus vltimo perit, reditque primo. Primus & poſtremus ſanorum cibus, gratus in omni obſonio, & ſolus manducatur, & cum aliis: alia non ſine ipſo. Aliqui natura caſeum horrent, alij oua, alij alia; nonnulli ſuperſtitione, vt Pythagoras omnia quæ vitam acceperant; alij obligatione, vt Iudæi carnes porcinas; Adam arborē ſcientiæ boni & mali, & nos Catholici in quadrageſima, ex inſtituto Eccleſiæ carnes, oua, lacticinia, alij ſua deuotione, ac religione libera, vt olim

plurimi

plurimi qui pane tantum viuebant, ſale, & aqua, aut herbis obuiis *Contentiq; cibis nullo cogente, creatis*

*Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,*
*Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis:*
*Et quæ deſiderant patula Iouis arbore glandes.*

Ouid. Metam.

Sed nemo vnquam inuentus eſt qui natura panem horreret, paucaque animalia, quę illum non manducent, (videte etiam quare Chriſtus Ieſus in pane ſacramentum altaris conſtituerit, ) nunquam eum lex vlla quod ſciam prohibuit, paucę gentes adeo religioſæ, aut ſuperſtitioſę, quę panem non adhiberent in cibũ. Imo & S. Hieronymus in pane & aqua rigidiſſimum conſtituit ieiunium, *Fortiſſimum ieiunium eſt aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quaſi publicum & commune ieiunium non putatur.*

D. Hieron. li. 2. Ep. 14. ad Nepot. edit. Caniſiana.

Sic panis mirabili beneficio omnem in ſe continet ſaporem, qui hominem inuitare poſſit. Alij dulcia, alij amara, alij amarodulcia amant; alij ſalſa, vt Burgundiones quos ideo Galli ſalſos appellant, alij acria, alij odorata: panis autem quicquid in aliis gratum eſt, cõtinet. Et quis nouit, vtrum panis à Græco πᾶν, i. omne non deſcẽdat: quia ſcilicet habẽs panẽ, habet omnia; habens obſonia ſine pane habet nihil, quia ſine pane nec ſapida ſunt, nec ſalubria. Panis omnium ciborum epitome eſt, ſicut homo totius mundi. Panis etiam aliorum ciborum vitia corrigit, auget gratiam; vnde & prouerbiũ, bonus cibus omnis comitatus pane. Athletæ, vt author eſt Galenus, homines qui ædificando robori vacabant, pane tantum & porcinæ carnis modico paſcebantur. Idem & ſcriptura indicat, toties dicens *robur panis, firmamẽtum panis*. Qui plenius videre volet quid panis valeat, legat hiſtorias Scotorũ. Dicũtur Scoti proficiſcẽtes ad bellum extra limites ſuos, ſi per deſertas regiones putent ſibi futurũ iter, armẽta ac pecudes ſecũ abigere, vt ex iis in via viuant: & quia ſtomachus, propter carnis ſine pane manducationẽ, ipſis lędítur; vt & ei remediũ adhibeãt, ſumũt farinę modicũ ex ſaccello in quo librã farinę aut ſeſquilibrã in eũ

vſum

vſum contulerunt, cum tenui ferri lamina: miſcent dein cum modica aqua, in ſcutella lignea, ac paſtam illam in candentem laminam fundunt, & continuo panem conficiunt, ad eum fere modum quo in Hannonia noſtra cruſtula parant, vnde refecti Scoti ſtomachum ſuum belle inueniunt curatum, ac reparatas vires, atque ita iterum redeunt ad carnes ciboſque ordinarios.

Si tãtum poteſt panis talis qualis, nec paratus debite, nec fermẽtatus; ſi ita Scotos noſtros reſtaurat, quid faciet bene piſtus, bene coctus, & ita paratus vt æquũ

*Plin.lib.22. cap.25.*

eſt? *Panis hic ipſe quo viuitur innumeras pene continet medicinas.* Ita conueniens nutriendo corpori, vt à paſcendo dictus ſit, *quaſi paſtor* & nutritius iuxta Nonium.

*Nonnius.*

Panum nauigantibus prima cura, primatus coctorum prouiſio; panem ante omnia in manuca, quam non male panarium dixeris. Quod nomen etiã horreis & granariis publicis conuenit: quia potiſſimũ ipſorum firmamentum eſt panis. Primum ad panem raptores aduolant, primum panem famelici clamant.

Villamontanus de ſe refert, quod egreſſus de naui cum omnibus ſuis ſociis, in portu Iapha, terra Hieroſolymam verſus inſtituerit iter. Mauri & Arabes aduolarunt in nauim quæ ſtabat ad anchoras, nihil petentes niſi panem, alij eiuſdem ſortis latrunculi inciderunt in eandem ſocietatem, & nihil niſi panes abſtulerunt. Primum hoc eſt quod eſuriens quærit. De quo hiſtoriam ex Herodoto adferam, non importunam. Dicuntur Ægyptij gloriati antiquitus populum ſuum totius mundi eſſe antiquiſſimum. Quidam igitur ipſorum Rex, nomine Pſammetichus, indagare volens veritatem, exiſtimauit ſibi inquirendum quæ lingua hominibus eſſet naturalis, ac primo omnium; inde ratus commodiſſime fieri poſſe coniecturam. Duos igitur recens natos ſumpſit puerulos, deditque paſtori ſecreto nutriendos in ſtabulo, prohibens ne quis verbum vllum illis loqueretur: ſed tacite educarẽtur ad certum tempus, cum vero attigiſſent ætatem, relinquerentur ſoli, ſine cibo. Lapſis duobus annis,

curator

curator ipſorum impleto Regis præcepto aperuit ſtabulum, ac ſtatim pueruli clamare cœperunt, Bec, Bec. Paſtor nihil reſpondet: illi eadem verba repetunt; ipſe hæc renuntiauit domino ſuo; qui coſdem iuſſit ſecreto adduci, ac eadem ex pueris audiuit. Inquiſita eſt horum verborum ſignificatio & inuentum lingua Phrygia ita appellari panem. (Io. Goropius lib. 5. & 9. orig. dicit Bec etiam in inferiori Germania ſignificare panem) Ita Ægyptij Phrygas didicerunt antiquiores eſſe. Herodotus hæc ſe Memphis ex Sacerdotibus Vulcani ait accepiſſe. Alij opinantur puerulos iſtos nutritos fuiſſe à duabus nutricibus mutis. Eodem redit, mihi hoc ſolum intentum eſt, monſtrare panem nutriẽdo homini adeo eſſe naturalem, vt homo famelicus nihil niſi panem clamet. Opinor vt vir omnis concupiſceret fœminam quamprimum videret, etiamſi ante nulla ei eſſet conſpecta, naturæ inſtinctu, qui ſemper ad conſeruationem ſpeciei impellit; ſic etiam hominẽ qui panem nunquam ante viderit, videntem eum inter cibos reliquos, reliquis etiam prælaturum, tanquã conſeruationi indiuidui magis accommodum.

Credat qui volet; Spagirici & quintæ eſſentiæ extractores affirmarunt Ludouico Guyon, ex quo quędam ad hanc rem mutuaui, quod cum in vitrea ſua vaſa panẽ miſiſſent, vt inde quintam extraherent eſſentiam, aliquoties ſe eum inueniſſe mutatum in carnem. Si hoc verum eſt, non video quid mirentur hæretici, in venerabili ſacramento, panem in carnem tranſſubſtantiari. Sed mendaces an veraces ſint Alchimiſtæ, magna panis gloria eſt, aſſumptum eſt prę omnialia materia, vt tranſmutetur in Ieſu Chriſti corpus, ac tantæ neceſſitatis fiat Sacramentum, vt qui panem iſtum non manducant, non viuant in æternum. Magna panis gloria eſt, quod Chriſtus ſe panem vitæ appellat. Magna panis gloria eſt, quod in lege Moſaica Deus tabernaculum ſuum propoſitionum panibus nunquam voluerit deſtitui.

*Guyon 2. li. diuerſarum lectionum cap. 12.*

Magna panis gloria eſt, quod cum Deus cælitus amicis ſuis miſerit, vt Eliæ, S. Paulo eremitæ: nunquam

aut

aut raro carnes, aut cibos alios; ac patriæ prouerbio neceſſitatem eius explicamus, ac reliquis delitijs præferendum dicimus, *miſera conuiuia vbi panis defuit*, nunquam autem vbi caro, vel vinum deſideratur. Panis igitur inter cibos primus eſt, potiſſimum humani generis nutrimentum, ac ideo nihil paruum dicit Prodigus, cum mercenarios patris ſui panibus dicit abundare. Pręſtat audire *vinum non habet*, quàm *panem non habent*.

Miror quis primus quaſi blaſphemans dicere auſus ſit, *peſſimam eſſe repletionem panis*: nam id & contra rationem, & contra Doctorum ſententiam eſt. Nam nec corrumpit, nec corrumpitur tam cito, quam carnes aut piſces, nec tam duræ concoctionis eſt quam caſeus. Melius colorem pingit, melius anhelitum, melius ſanitatem & vires iuuat, quam carnium aut piſcium copia.

Quod ſi dixerit aliquis intelligendum hoc eſſe de pane male cocto, nec fermentato, qui & ideo digeritur difficilius. Reſpondeo. Quando de panibus loquimur, loquimur de bonis, ex frumento bono, mundo, bene piſto, bene cocto. Quando enim de re loquimur cuius plures ſunt ſpecies, accipimus eam ſemper pro famoſiori & formoſiori ſignificató.

Sexto. Panis nomine in ſcriptura omnia ad vitam neceſſaria, ad cuiuſque ſtatum, quaſi in vno capite intelligi (quid enim petimus cum panē quotidianū rogamus, nihilne aliud à Deo expectamus, quam panē? Reges eadem nobiſcum poſtulant, iiſdem verbis: nihil igitur plus illi petunt, quam pauperrimus quilibet. Nonne petūt quicquid Regio ſtatui neceſſarium eſt? Et Diuina ſententia, dicta in Adamum & poſteros, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, nūquid panem permittit nudum. Minime. Non enim vt opinor manducabant panē ante diluuiū; ſed herbas, & fructus. Quid igitur? Dicere voluit veſties te, & comedes ex labore tuo, herbas, fructus, legumina. Vnde Vatablus optime, annotatione 35. huius capitis. Hebraiſmus *pro victum parabis tibi cum ſudore*. Et ſi bene notemus expoſitionem;

*Geneſ.3.*

nem; panis, per anticipationem ibi dictus eſt, quaſi comedes herbas terræ, & tamen pro illis ſudandum erit. Sic igitur dicere poſſumus, Prodigum intelligere ſuum abundāt panibus, vt ſignificet mercenarios patris ſui, victum & neceſſaria habere copioſe, iuxta qualitatem ſuam; & ſic nihil paruum dicit de felicitate ipſorum, reſpectu ſuæ infelicitatis.

## II.

*Quod ob pulcherrimas rationes de panibus ibi agatur in plurali numero.*

SEd cum per panes intelligamus, quicquid humanę vitæ neceſſarium eſt: non ſufficeret dicere abundāt *pane*, ſed abundant *panibus*. Græcus habet περισσεύουσιν ἄρτων, *panibus circumfluunt* vertit Caſtaleon: ſcilicet vt ſeruendere poſſint. Sed cur tam ſpeciatim dicit, *abundant panibus*. Credo plurali iſto numero aliquid amplius, tam ſecundum litteram & hiſtoriam, quam ſecundum myſterium ſignificari. Iuxta litteram indicare voluit, non tantum ſimpliciter neceſſaria, ſed etiam quædam ſuperflua, ad voluptatem fuiſſe miniſtrata: Quamuis enim vulgo vereq; dicatur, quod copia ingrata ſit, id tamen intelligendum magis quoad exceſſum in vſu, quam in vtendi poteſtate. Edere, aut bibere nimium largiter, inſuaue eſt; *copiaq; ipſa nocet*: iucundum tamen habere copiam; ac ſi velis ea vti, poſſe: ſi nolis, deſinere. Atque ideo Dominus noſter, cum miraculoſe panes ſuos ad paſcēda tot millia multiplicaret, quamuis eos non intenderet nimium opplere, multiplicauit tamen ita vt 12. cophini fragmētorum, & micarum ſupereſſent. Et hoc vnum. *Ouid. lib. 5. Faſt.*

Secundo. Forte dicit panibus, vt ſubindicet diuerſos à patre datos fuiſſe panes; ſecundum diuerſos mercenariorum ordines, vnicuique ſecundum ſuum gradum; omnibus tamen & ſingulis abundantem. Aliis panem *atrum*, aliis *primarium*, aliis *ſecundarium*, aliis *bis coctum*, aliis *frumentarium*, aliis *hordeaceum*, aliis *ſiligineum*, &c. Aliis recentem,

aliis

alius heſternum, &c. Noſtis enim plures eſſe inter ſe diuerſas panum ſpecies, ac differre materia: qualis tri- *ticeus, ſimilagineus, hordeaceus, aſtriarius, fermentatus &c.* Aut præparationem ex eadem materia: alius ex polline, alius admiſto furfure, alius cribratus, aut mixtus. Aut temperamento vt fermentatus, azymus. Aut coquendi modo. Hinc *furnaceus, artopticeus,* vt vt Heliæ, *ſubcinericeus.* Alius in ferrea coctus lamina quem Scotos ad bellum euntes parare paulo ante dixi, alius aliter, vt cruſtula, libaque Hannonica. Aut fine: hic enim præſenti conficitur neceſſitati, vt panis ordinarius; ille futuræ vt *biſcoctus*, ille voluptati vt *angelogani.* Vel duratione. Hic enim recens, ille heſternus, alius ſeptimanarius &c. Tot panum ſpecies, in domo patris noſtri Prodigi, pro mercenariis, vt nihil vita poſſit deſiderari: tanta copia, tanta varietas, vt quaſi optione ſua torquerentur: cum contra Prodigus nec ſecundarium haberet, nec hordeaceum, nec fermentatum, nec azymum, nec mucidum: ſed cantaret ego *autem hic fame pereo.* O quanta diuerſitas ſuſtentationis, hominum non eiuſdem gradus!

*Alia panis genera vide apud Plinium lib. 8. cap. 11.*

Quantum vero ad ſenſum myſticum, opinor dictũ *panibus*, non tantum *pane:* vel propter duas quibus homo conſtat partes, corpus ſcilicet & animam.

Vel propter duos eiuſdem hominis ſtatus, viatoris ſcilicet in hac vita, & comprænhenſoris in æterna.

Vel propter duo quibus viatores in hoc mundo ſubſtant tempora: ſerenum ſcilicet & pluuium, i. proſpera & aduerſa.

Vel propter conſcientiam hominis iam ſanctam, iam pœnitentem.

Vel propter ordinem, quem homo in vita ſeruat, iam diſcipulus, iam proficiens, iam magiſter.

Vel propter mercenariorum diuerſitatem, bene vel male Deo ſeruientium.

Vel propter leges ac ſtatus diuerſos in quibus vixerunt homines: vt legem naturæ, legem Moſis, legem Ieſu Chriſti & gratiæ; ac propter alias infinitas rationes, quas acutior poſt me aliquis adferet (vt intelligo

nuper

nuper à quodam meum Prodigum Pariſiis pro concione recitatum, compilatum, mutatum, acciſum, adauctum, perfectũ, vt omnes aliena mutuamus, & quia bene placuit, magnus Henricus Rex, aliquoties eodem libens conceſſit, ac noui ipſius labores, in antiquis meis ædificantur fundamentis: fœliciter illi, cedatque proſpere: mihi pars cedet fructus.

Certiſſimum eſt iuxta diuerſos hos reſpectus, diuerſo opus eſſe pane, aliiſque rebus homini neceſſariis.

Ac primo quidem. Quis dubitat alio animam, alio corpus pane paſci? non meminiſtis quid reſpondenit Chriſtus Satanæ. *Non in ſolo pane viuit homo: ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Vbi duas haſce partes deſignans, panem communem diſpenſat corpori, animę verbum Dei. *Scientia & veritatis & maxime Euangelicæ lectio, auditio, cognitio ſuauiſſimus paſtus animorum.* Eſſetne poſſibile duas naturas adeo diuerſas, corpoream vnam, ſpiritualem alteram, eodem paſtu viuere? Fingite ſi placet domi vobis eſſe belluam multorũ capitum, aut ſtabulum diuerſis plenum animalibus, (quale in diluuio Arca Noe fuit) equis, leonibus, canibus, ouibus, ſtruthionibus, ſalamãdris, &c. Omnibuſne his eundem appones cibũ, vel fœnũ, vel panẽ, vel carnẽ, vel ferrũ, omnibus? Hęc comedent, illa morientur: quia non idem omnium eſt cibus. Da fœnum equo & oui, manducabunt etiam nimium: interim Leo, Canis, Struthio, ſalamandra, moriẽtur fame, nec guſtabunt. Proiice carnem Leoni, & Cani, prandebũt liberaliter; nec vllum qui adiuuet inuitabunt conuiuam; interim equus & ouis, eam non tangent, nec carnem in carnem ingerẽt. Da ferrum Struthioni, comedet; ſed ſolus maſticabit, digeret, viuet; morientur fame reliqua. Appone ignem Salamandræ, inſiliet & trahet ſorbebitque viuas flammas, & viuet. *Nutriſco & extinguo.* Fugient reliqua. *Geneſ.* *Vide ſymbola heroica Claudij Paradini fol. 9. & 10.*

Sic, dilectiſſimi, cum corpore & animo agitur. Lege, attende, intellige verba Dei, viuet anima, non corpus. Comede bene panem, viuet corpus non anima. *Vnus eſurit & alter.*

Prodigus itaque noſter, per ſuum *abundant panibus*, dicere voluit, ſeruos Dei, tam corpore quam animo ad ſaturitatem paſci. Secundum corpus nihil ijs deeſt.

Pſal.] *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.*

Pſal.] *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.*

Pſal.] *Eſcam dedit timentibus ſe* (*Iſraelitis in deſerto.*)

Pſal.] *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

Iſai. 65.] *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis, &c.*

Matth. 6.] *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Nonne populus Iſrael 40. annis in deſerto pane de cœlo præſtito, ex piſtrino & penuario Dei abundauit: pane inquam Angelorum, qui fabuloſo nectare Deorum erat ſuauior.

Elias in deſerto, nonne à coruis paſtus eſt; & panem ſubcineritiũ, deſperans ab Angeli manu accepit?

Daniel nonne in Leonum lacu quod pranderet accepit, rapiente Angelo neſcio vnde, & transferente Babylonem Prophetam Abacuc?

Chriſtus Ieſus, nonne poſt ſuam quadrageſimam ab Angelis refectus? *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Chriſtus nonne ſæpe auditores ſuos eſurientes miraculoſe pauit, iam quinque, iam ſeptem millia, & tam copioſe vt omnibus ſaturatis 12. ſupereſſent fragmentorum cophini? *abundant, abundant panibus.*

*Matth. 4.*

S. Paulus Eremita, nonne dimidiatũ quotidie coruo panem accepit? & cum eum viſitaſſet S. Antonius, nonne *militibus ſuis Deus duplicauit annonam?* vt inquit S. Hieronymus.

*D. Hieron. in vita S. Pauli.*

Alius Eremita, nonne quotidie panem accipiebat candidiſſimum, quam diu puritatem mentis ſeruabat & conſcientiæ?

*In vitis P. P.*

Quatuor Eremitæ quos Paphnutius in Ægypto inuenit

*Ibid.*

uenit, qui Dominicis tantum manducabāt, nōne pro numero ſuo ab Angelis accipiebant panes, & cum ſuperueniſſet Paphnutius additus eſt quintus?

Et Romæ in *Ara* cæli, in conuentu noſtro fratrum minorum; nonne durante fame publica, cum S. Didacus frater Laicus viueret, omnium rerum ibi erat copia? De quo in matutinis noſtris canimus, *in publica inopia apud pauperes omnia abundabant*.

Quid? Romani, tanti mercenarij, *animalia gloriæ*, propter morales ſolum aliquas virtutes, quas non adepti ſunt diuitias, proſperitatem, rerum omnium abundantiam? *Receperunt mercedem ſuam* optime de illis dici poſſet. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.*

Quantum ad animam: quis non videt conuenientem paſtum omnibus à Deo copioſe ſubminiſtrari? Verbum vitæ, ſcriptum, inſpiratum, & omnis generis inſtructiones? *Abundant panibus.* Primi homines alebantur & inſtituebantur lege naturæ, optime tali pane, etſi imperfecto, nutriti; pane ſubcinericeo ſcilicet, qui ſpiritualium rerum rectam continebat intelligentiam, ſed pane ipſis conuenienti: *ſimiles habent labra lactucas.* Succeſſores ipſorum pane legis Moſaicę tanquam hordeaceo aſpero, duro, graui, male cocto, parum ſano: *panem ex hordeo*, inquit Plinius, *vſitatum vita dānauit, quadrupedumq; tradidit refectibus. Nihil ad perfectum adduxit lex*, inquit S. Paulus. Accommodus tamen illorū ſtomacho. Nos alio pane Euangelij Chriſti, tanquam triticeo, tanquam ſimilagineo, bene piſto, bene cocto, ſano, ſucculēto: *Cibauit eū pane vitæ & intellectus*, pane cœleſti, pane Angelorum, expoſitione clara ac manifeſta ſcripturarū, Prophetarum, & figurarum veteris legis; pane azymo, pura doctrina, propoſita ab ipſo ſaluatore, & Apoſtolis. Pane infuſę ſapientię, per aduentum Spiritus S. pane non fermentato, doctrina noua, & inaudita; aut etiam fermentato, id eſt, Euangelio veteris teſtamenti teſtimoniis interſperſis; pane * fidei pro intellectu; pane charitatis pro voluntate; pane ſpei pro

*Plin. lib. 18. cap. 7.*

*Ecleſ. 15.*

*Leuit. 7.*

* *Bern. Buſt. p. 2. Roſarij ſer. 7. initio.*

memoria; pane illuſtrationis, & puræ veritatis, pro parte rationali, ac concupiſcibili noſtræ animæ. Pro amoris ſancti, affectus caſti, deuotionis & reuerentiæ in Deum, pro voluntate. Pane propoſitionis manda-torum, & iudiciorum Dei, ac inferni, pro memoria. Ecce quare dixerit *Panibus*.

Pro duobus ſtatibus, viatoris ſcilicet & comprę-henſoris, quibus non *abundant panibus* fideles merce-narij Dei? Vt viatores nonne omnes prædictos habe-mus panes pro viatico? Primo verbum Dei, panē quo-tidianum, qui quotidie offertur. *Nam quotidie apud vos eram docens in templo. Habent Moſen & Prophetas. Habentes ſolatio ſanctos libros. In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Chriſti ſcilicet, Apoſtolorum, & ſucceſſo-rum. Biblia ſancta, Moſes, Prophetæ, copioſe panes ſuppeditant: & noſtris ſeculis magis quam vnquam verum eſt, mercenarij; *abundant panibus*, Chriſtiani ſcilicet. Non enim iam vltra dicere poſſumus *meſſis quidem multa, operarij* (id eſt Doctores) *autem pauci*. Sed prope verum eſt contrarium: Doctores, meſſores multi, ſeges rara, auditores pauci. Nouæ fere ſtruendę ſunt Eccleſiæ, noua extendenda noualia, noui crean-di populi, vt locum inueniant omnes concionatores, qui tam feliciter ex omnibus ordinibus, aut nouis, aut renaſcentibus, & reflorentibus quotidie pullulant. *Roma domus fiet.* Omnia vertuntur in Eccleſias, & Mo-naſteria. Omnes fere concionantur, & iam difficulter vacās inuenitur cathedra. *In omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, &c. ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia.* 1. Cor. 1.

Quid dicā de panibus doctrinæ, quos inſuper Deus tot libris nobis ſuppeditat, omni lingua conſcriptis?

*Scribendi libros non eſt finis.*
*Tenet inſanabile cunctos*
*Scribendi cacoethes.*
*Scribimus indocti doctiq; poemata paſſim.*

Præla eructant libellos nouos, Doctorum crume-næ ſuſpirant vacuæ, tot nouis emendis; iam biblio-thecarum aſſeres vix ſuſtinēt copiam. Catalogi Fran-cofur-

coſurtenſes vix recenſent numerum,& putant non indocti præſtare pauciores eſſe libros propter vitæ breuitatem. Neſcimus enim vnde legere incipiamus & dum omnes volumus nihil facimus. Seneca lib. 1. Ep. 2. *Illud vide ne iſta lectio multorum authorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & inſtabile.*

Nihilominus mercenarij *abundant panibus*, viatores homines hac doctrina abundant:ſed reuera *abundant panibus*, & cum proh dolor melius paſcamur & doceamur quam vnquã, incraſſamur, & minus quam vnquam proficimus : viuentes in quibuſdam peius quam prius, & minus ſoliciti, & impeditiores ad bona opera, quam antea ; (ſi inſpiciamus ſinum noſtrum & iudicemus nos ipſos.) *Quid debui facere vineæ meæ & non feci*, inquit Dominus. Et cum Deus nunquam ceſſet ſubminiſtrare panes gratiæ ſuæ, vt viuamus bene: panes azymos, conuerſationis puræ, ac honeſtæ, ſanctorum hominum exempla, quæ humiles manducãt, & non inflati, qui nunquam ſe reputant iuſtos, *quotidianis ſuperna gratia reficiuntur alimoniis.* Dicit Haymo, & poſt illum Albertus de Padua de Marone; *virtutibus & gratiæ donis.* *Climac. gradu 15. ſcalæ.*

Albertus magnus hic: *veritate verbi, gratia virtutis.* *Haymo ſententialiter, Pataninus vero iiſdem verbis.*

Panis quo roboramur in via, & ambulamus ad montem Dei Oreb, vt confortati non ceſpitemus, offendamus, aut cadamus in peccata. Panis eſt præſeruationis à peccato , tam vt præcidantur occaſiones, quæ ſæpe faciũt furẽ (*ipſaq; furem præda vocat*, optime dicebat non nemo) quam vt roboremur gratia aliqua particulari, ad reſiſtendum: quia *gloria virtutis eorum tu es: multiplicabis in anima mea virtutem: tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me Dominus ſupponet manum meam: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* *Ouid.* *Pſal. 90.*

*Dominus Deus auxiliator meus: ideo non ſum confuſus.* *Iſaiæ 50.*

Quia dat nobis cogitationes ſanas, vt peccata nobis diſpliceant, & peſte ac morte magis horreamus. Panis quo roboramur ad bona & meritoria opera,

animamur ad peccatorum odium, plus quam capita-
Geneſ.49. le, & ad temporalium rerum contemptum. *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* & toti rapimur deſiderio æternæ fœlicitatis. *Deſiderio collium æternorum. Quãdo veniam & apparebo ante faciem Dei.*

O qui & quam boni panes, viatoribus in ſterili huius mundi deſerto, 40. annis quibus in cælum & terram promiſſam tendimus? Quid faceremus miſeri peregrini, niſi Deus impleret ſitarcia noſtra iſto bis coćto? Habemus etiam panes ſubcineritios, ſacramenta Eccleſiæ, quorũ ſigna viſibilia ſunt, inuiſibilis gratia, & velata: maxime in ſacroſancta Euchariſtia, quę reliqua excellit Sacramenta. Vbi nobis datur panis carneus, ſuperſubſtantialis, panis vſu, nõ vilitate quotidianus. Pretioſum dico Domini corpus, panis viuus &
D. Thom. talis. Panis ſic dictus propter ſpeciem externam, & ap-
Ioan.6. parentiam, panis propter cõtentum qui Chriſtus eſt, de ſe dicẽs, *ego ſum panis vitæ.* Panis dictus quia materia ipſius panis eſt, panis propoſitionis, qui à ſolis mãducatur Sacerdotib. & mũdis, vt Sacerdotes; maxime
1. Reg. à mulieribus. *Si mũdi ſunt pueri, maxime à mulieribus.* Panis qui nunquam deficit, *nec ſumptus conſumitur*: atque ita ſemper mercenarij *abundant panibus.* Ad Sacramentum ſemper accedere poſſumus, *pauperes eius*
Pſal.131. *ſaturabo panibus.*

O panis viuus, quis vnquam verbis tuam exæquet ſuauitatem, quis explicabit quot morbos cures animæ, cum panis corporis ita medeatur corpori! vt author eſt Plinius. Quis dicat quomodo huius mundi peregrinos in ſuo exilio confirmes, *& panis cor hominis confirmet.* Hic panis eſt, quo Angeli in paradiſo viuunt. *Panem de cœlo præſtitiſti eis: panem Angelorum manducauit homo.*

Ea tantum differentia eſt, quod nos illum mandu-
Sap.16. cemus velatum, illi reuelatum, *Videmus per ſpeculum in ænigmate.* Vere *panis filiorum non mittendus canibus.* Imo panis eſt quo ipſe Deus, tanquam ambroſia refi-
Matth.17. citur. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Vere ambroſia, quæ comedentem melius facit immor-

mortalem, quam fabuloſa falſorum Deorum ambro-
ſia, quæ ab immortalitate nomen putatur accepiſſe,
ab *α priuatiuo*, *&* Βροτὸς *mortalis*, i. immortalis. *Qui*
*manducat hunc panem viuet in æternum.* Panis, qui vt
manna ſuper terram, ſic in ventrem deſcendit Virgi-
nis. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum* *Ioan.* 12.
*fuerit, ipſum ſolum manet* (*ipſe Dominus Ieſus erat gra-*
*num mortificandum, & multiplicandum*, dicit S. Augu- *D. Auguſt.*
ſtinus) In vtero Virginali dico, vbi tanquam in piſtri- *tract.* 51. *in*
no fuit, miſtus ac piſtus noſtræ humanitatis aqua, *Ioan. ſub*
& redactus ad paſtam mollem, cooperante Spiritu *med.*
Sancto. *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi, Spiritus Domi-* *Iſaiæ* 48.
*ni ferebatur ſuper aquas.* Coctus in arbore crucis,
tanquam in furno, tribulationum ignibus. *Ex-*
*coxi te in camino paupertatis.* Extractus inde in reſur-
rectionis die, remiſſus in Panarium Paradiſi, in pro-
pria ſpecie, die Aſcenſionis ad refectionem Beato-
rum: relictus tamen etiam in penuario Eccleſiæ, in
ſubſtantia, ſed non in ſpecie propria, vnde Catholici
ſemper viuimus. Cum interim Prodigus * hæreticus ** Hæreticus*
moriatur fame, quia eum nobiſcum noluit mandu- *prodigus.*
care. O panis, quantum ortu aliis præſtas: illi enim de *Vide tomũ*
terra, tu de cælis es. *primum A-*
*cademiæ.*

*A ſummo cœlo egreſſio eius.*

Paratum panem *de cœlo præſtitiſti eis ſine labore.*

Pſal. 77.] *Pane cœli ſaturauit eos:*

*Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi:*

*Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*

Quę nobiliora ſunt, cœleſtia an terreſtria? quę me-
liora ſupera an infera? Si res omnes patriam ſuam ac
natiuum ſuum locum redolent, certe quæ ibi naſcun-
tur nobiliora ſunt, quam quæ alibi. Sic herbę monta-
næ paluſtribus ſalubriora ſunt, etſi eiuſdem ſpeciei. A-
nimalia quæ in montibus paſcuntur, iis fere præſtant
quæ in vallibus. O quam excellentẽ, quam bonũ, quã
ſalutarẽ & credere & dicere debemus panẽ noſtrũ Sa-
cramẽtalem, ex altiſſimo Olympi monte, cœlo inquã
allatũ, ex ſinu, ex intellectu fœcũdiſſimo ęterni patris.
Ioannis 3. *Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt.* O pa-

 nem

nem origine nobiliſſimum! O panem perfectione & energia multo præſtantiſſimum! quis vnquam panem audiuit viuum, qui non ſolum conſeruet vitam; ſed qui vitam habet omnis vitæ principium, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Hic ille eſt, dilectiſſimi, hic ille eſt, *ego ſum panis viuus.* Quomodo enim non ſit panis viuus, qui per ſacramentalia verba corpus eſt Chriſti, & anima per concomitantiam indiuiſam poſt reſurrectionem, qui Dei filius eſt & homo per vnionem inſeparabilem, quam ſemel fecit humanæ naturæ, quam nunquam dimiſit nec dimittet. Damaſcenus *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Panis qui Pater eſt, & Filius, & S. Sanctus, propter vnitatem ſubſtantiæ in tribus perſonis, quia nuſquam perſona vna eſt ſinta-

*Eccleſ. Rom. in hymno.* lia. *In Patre totus Filius, & totus in verbo pater.* Panis *viuus, panis viuus*; qui vitam in ſe habet, & gratiæ vitam aliis communicat, ſicut panis corporeus vitam

*Ioan. 6.* corpori. *Panis verus qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo*: panis, qui vitam gloriæ dat & conſeruat. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Panis viuus *& vitalis.*

Cogitate quid in paradiſo potuiſſet guſtatus arboris vitæ fructus, ſi eum manducaſſet Adam: & facile intelligetis efficaciorem eſſe ad immortalitatem creatorem eius. *Ne forte mittat manum & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum: & emiſit eũ Dominus de paradiſo voluptatis.* Veriſimile eſt glorioſius reſurrecturos in corpore, qui hic aliquando iſti pani communicarunt, quam illi qui nunquam. Panis adeo viuus vt fractus non minuatur, nec maculetur, nec dedecoretur indignitate communicantium, & adminiſtrantium; non magis quam ſolaris radius in fœtidam ſplendens cloacam.

Panis viuus, qui non tacta ſuſtentat accidentia, vt terræ globus in medio ſuſpenditur aere, ac monumentum ferreum inter magnetes, aut vt nubes in medio cœlo penſiles. Panis viuus & vitalis, quem ſumat vnus

*Iſaiæ 51.* ſumāt mille, *ſumptus non conſumitur. Non deficiet panis eius.* Panis adeo viuus, vt includi vno loco ita non ſi-

nat, vt non ſit alibi; nec ita ciboriis & ſacris pixidibus circumſcribitur, vt in aliorum panariis & menſis non inueniatur, in omni vbique fidelium ſocietate. Panis qui non inflat, qui non germinet niſi virgines, & caſtitatem. Videte panem admirabilem in effectibus ſuis, dilectiſſimi. Sed quid dicemus de duratione eius. Alij panes facile muceſcunt, atque ideo frequens bis coctorum vſus, & ex manna ſcaturiebant vermes, ſi illud ſecundũ inueniret mane: ſed hic incorruptibilis eſt, & à corruptione præſeruat. Quamuis enim accidentia & ſpecies corrumpantur, natura tamẽ & eſſentia corporis Chriſti nunquam alteratur. *Exod.16.*

Quid? mortuus, ſepultus, cuſtoditus, corrumpi nõ potuit in monumento: etiam reſuſcitatus, & glorioſus corrumpetur in ſacramento? Nimis hoc abſurdũ. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Viatores ergo in hoc mundo *abundant panibus*, viuitur in Dei domo abunde, feliciter, ſuauiter.

Sed compræhenſores quid? Et illi abundant panibus gloriæ & gratiæ conſummatæ; eodem pane, non alio, ſed alterato; aut potius non alterato ſed detecto & in propria figura, quo ſc. viuebãt antea, cum adhuc eſſent ſicut nos Viatores: pane, non fidei, ſed claræ viſionis: pane, non ſpei, ſed ſecuræ ac lætæ poſſeſſionis: pane amoris, pane quotidiano & ſuperſubſtantiali, cuius bonitas omnem ſuperat ſubſtantiam, & quicquid nutriendi vim accepit. Panis qui indeſinenter manducatur, qui largiter ſumitur, & ſatiat, ac ſaturat ſine faſtidio: panis filiorum, panis Angelorum. (*Panem Angelorum manducauit homo*) imo & ipſius SS. Trinitatis: *cibus regius*. Idem enim Diuinitatis obiectum, Deum, homines, & Angelos beat. *Comedet ſemper panem ſuper menſam meam.* *2.Reg.9.*

Lucæ 14.] *Beatus qui manducauit panem in regno Dei.*

Hic ille panis eſt, de quo moriens prophetabat Iacob. *Aſar pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Aſar Hebraice beatitudinem ſignificat, & quæ beatitudo noſtra niſi Chriſtus? *Geneſ.*

Vel quis ille panis, quem dabit Chriſtus in paradiſo regibus (i. beatis; omnes enim ibi Reges erimus, & coronabimur) niſi beatifica viſio, quæ tota ipſis perfectio eſt & beatitudo.

Et notate: optime dictum *abundant panibus*: Deus enim ipſis erit omnia, ſicut olim manna. *Panem tribuiſti eis omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Erit Deus omnia in omnibus*; Pan, Pan: abundant: ſed vere, ac ſimpliciter. In cœlo magna ſunt conuiuia, magni conuiuatores: hic pitiſſamus tantum, & guſtamus: in cœlo omnia liberaliter apponuntur; hic minutim fragmenta quædam, & micæ: illic nulla fames, ſed copia. Vnde Propheta: *Guſtate & videte, quoniã ſuauis eſt Dominus*: *ſatiabor cum apparuerit gloria tua*, i. quando ad ſatietatem tua maieſtate implebor. Ibi cornu copiæ erit.

Pſal.] *Replebimur in bonis domus tuæ.*

Pſal.] *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.*

Pſal.] *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Iſai. 66.] *Gaudete gaudio vniuerſi qui lugetis per Ieruſalem, vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius: vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.*

Auditis abundantiam. Omnes abundabunt, etiamſi non omnes beabuntur æqualiter; ſed quilibet ſecũdum merita. Sicut in inſtructiſſima menſa, qualis eſt aut *Solis* apud Æthiopas, aut Aſſueri Regis, omnes ſaturantur, omnes abundant, quamuis non omnes æqualiter comedant, ſed alius plus, alius minus, pro ætate, pro fame, pro capacitate ſtomachi. Fœminæ enim & pueri non comedunt quantum viri, nec ſenes quantum iuuenes, & inter iuuenes alius pernam vorat integram, alius bouem vno fere prandio, quos homines recte *baratra macelli* dixeris. Alij contra vno ſaturantur ouo, vno pullo, vna buccella, & tamẽ omnes à menſa bene paſti ſurgunt. Aut cum mulierculæ ſimul ad fontem vadunt aquatum; huius vnam, alterius amphora duas, alterius tres vel quatuor capit menſuras, & ſingulæ ſuas implent, quamuis non æque multum

tum capiant. Sic in Dei gloria omnes tractabuntur pro meritis, alius plus, alius minus, & interim minimus etiam abundabit; contentus optime, quia ſtomachus ac vaſculum ipſius nõ plus capiet, i. meritis ipſius non plus debebitur, & deſideria bene regulata, nihil vltra appetent. Sic de cœleſti manna. *Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant cõgregauerunt*, *dicit Exodus. Qui multum non abundauit: & qui modicum, non minorauit*, inquit S. Paulus de eadem re. Hic inter mortales, *omnis copia quæ non eſt Deus meus, mihi eſt egeſtas*, inquit S. Auguſtinus in ſoliloquiis. Sic tanquam parui catuli viuimus de micis quæ cadunt ex cæleſti menſa: hic tantum *panẽ* habemus *arctum, & aquam breuem*, vt captiui, reſpectu mẽſæ iſtius. Hic ſemper cum Prodigo vere dicere poſſumus: *Ego autem hic fame pereo.* Exod. 16. 2. Cor. 8. D. Auguſt. ſolil. cap. 13. Iſaiæ 30.

At de his nimium protraho ſermonem: relinquam hic opus imperfectum, nondum enim propoſui omnia quæ ſupra promiſeram, & ne prolixitas oneroſa ſit & patientiam veſtram grauet, ac nimium iis ſubtrahat temporis qui viuunt in diem, & lucrantur panem, cras Deo volente reliquias apponemus. *Quod differtur non aufertur.* Ite in pace. Amen.

CON-